

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

125

1200/09/12. Santiago de Compostela.

O mosteiro de Santa María do Sar cambia a porción que ten na igrexa de Sta. Mariña de Esteiro pola parte que o de Toxos Outos ten na de Sta. María dos Ánxeles (Perros).

B.- Tombo, f. 54v.

Transcr.- SALVADO MARTÍNEZ, B.- “Tumbo de Toxosoutos...”, doc. n.º 35, pp. 205-206.

Carta de concambio inter monasterium Saris et monasterium Sancti Justi de ecclesiis de Esteyro et de Perros.

In nomine Domini. Ego Petrus Ruderici, monasterii Sancte Marie Saris prior, vna cum omni conuentu eiusdem monasterii canonicorum et omnis uox nostra vobis domno Petro, monasterio Sancti Iusti de Tribulis Altis abbati, omnique eiusdem monasterii monachorum conuentui et omni uoci uestre grato animo et spontanea uoluntate facimus cartam uenditionis et concambiationis et textum scripture firmitatis imperpetuum ualitatum de tota nostra portione quanta habemus in ecclesia illa de Sancta Marina de Steyro que est in terra de Gentinis, quam scilicet portionem nostram predice ecclesie monasterium nostrum ganauit de Ordonio Cransufiz, presbitero, per testamentum. Hanc igitur totam nostram portionem de iam dicta ecclesia Sancte Marine de Steyro vobis ab integro uendimus et concambiamus pro tota alia uestra porcione quantam habetis in illa alia ecclesia de Sancta Maria de Perros que est in terra de Amaea, quam uidelicet portionem ipsius ecclesie Sancte Marie de Perros uos ganastis de Cresconio Muniz, presbitero, et Pelagio Baluga, presbitero, et de archipresbitero Pelagio Martini. Abinc igitur habeatis uos totam ipsam nostram portionem quam habemus in ipsa prenominata ecclesia de Sancta Marina de Steyro cum omnibus suis directuris et bonis eidem ecclesie pertinentibus intus et extra in perpetuum; et nos similiter habeamus totam uestram portionem quantam habetis in illa predicta ecclesia de Sancta Maria de Perros cum omnibus suis directuris et bonis eidem ecclesie pertinentibus intus et extra in secula seculorum. Et unusquisque nostrum de sua faciat suam propiam uoluntatem imperpetuum. Siquis tamen ex parte nostra aut ab extranea contra hoc nostrum uoluntarium factum ad irrumpendum uenerit uel uenerimus quisquis fuerit pariat uel in duplo uel triplo quicquid uobis de iamdicta porzione prefate ecclesie Sancte Marine de Steyro calumpniatus fuerit et insuper solidos D; et hoc nostrum uoluntarium factum perpetuum obtineat robur.

Facto scripto huius uenditionis et concambiationis die IIe idus septembris, era M^a CC^a XXX^a VIII^a.

Nos iamdicti in hoc scripto manus nostras roboramus.

Q. p. f.: Rudericus Petri, tendarius, conf. Johannes Martini Agucia, conf. Rodericus Carnota de Legione, conf. Michael Petri, conf. Petrus Didaci, conf.

Lupus Arie, compostellanus notarius, scripsit. (Signum).